REGVLAE GENERALES SERVANDAE IN OMNIBVS ECCLESIIS VENETIARVM

REVERENDISSIMORVM DD. VISITATORVM *Apoſtolicorum iuſſu editæ.*



VERONAE, Apud Sebaſtianum, & Ioannem Fratres à Donnis. M. D. LXXXI.


OBLATIO·
PVERI·IESV
IN·TEMPLO
S·ANNA

DECRETVM
REVERENDISSIMOR.
DD. VISITATORVM
Apoſtolicorum.

DE EDENDIS REGVLIS,
& decretis in vniuerſum ſeruandis.

Quemadmodum poſt uiſitationem Eccleſiarũ Vrbis Venetæ Reuerendiſſimi Domi. Viſitatores, præter ea, quæ in ſingulis Eccleſijs de earum regimine & Eccleſiaſtica diſciplina ſigillatim fieri iuſserant; decreta & hortationes generales ad honeſtatẽ & mores Cleri Veneti pertinentes in uniuerſum edenda cenſuerunt, ita etiam ad cultum exteriorem Eccleſiarum augendum, has uniuerſales regulas ſiue decreta confecerunt, præter eas ordinationes, quas in

ſingulis Eccleſijs reliquerunt. ne ea quæ poſſent communi prouiſione neceſsitatibus Eccleſiarum inſeruire, ſigillatim in una quaq; Eccleſia repetere cogerentur. Et licet minimè uerendum ſit Venerab. plebanos & Parochos Venetos, pro eorum propenſioribus animis in Viſitatione declaratis, his quoque regulis, & decretis uniuerſalibus non alacriter eſse obtemperaturos. eorum etiam multi exiſtant quorum Eccleſiæ ita ſint ornatæ & inſtructæ, ut his regulis & decretis minimè indigeant, non ab re tamen fore cenſuerunt, ſi pœnas quaſdam adijcerent, quæ tardioribus, ſi qui forſitan reperientur (quòd minimè credendum eſt) eſsent incitamentum, & quaſi ſtimulus ad tantum tamque neceſsarium, & pium opus conficiendum, adiectis etiam nonnullis obſeruationibus ſiue ritibus ad Sacerdotes, minus in cerimonijs eccleſiaſticis uerſatos, melius informandos.

REGV-

REGVLAE GENERALES

SERVANDAE

IN OMNIBVS ECCLESIIS VENETIARVM

Reuerendiſsimorum Dominorum Viſitatorum Apoſtolicorum iuſſu editæ.

FIAT tabernaculum ligneum honorificum pro Eccleſię facultate, & dignitate, ad aſſeruandum venerabile Sacramentum Euchariſtiæ cũ cruce parua in apice pręfixa, quod intus circumueſtiatur ab omni parte panno ſerico albo. Oſtium autem ipſius tabernaculi tam longe lateque pateat, vt pixis, in qua erit Sanctiſsimum Sacramentum commodè extrahi, & reponi valeat ſera, & claui polite elaborata inſtructum. CLAVIS autem inauretur appẽdaturq; ei cor-

dula ex ſerico, & argento confecta cum flocu-lo ex eiſdem elaborato.

HABEANTVR et quatuor conopea ex ſerico quatuor colorum pro tẽpore mutãda, album, rubeum, viride, & violatum.

LOCETVR vero tabernaculum ipſum in altare maiore, & nihil aliud penitus in eo reponatur præter tabernaculũ Sanctiſsimi Sacramenti, niſi in honorifico loco collatum Reuerendiſſimus D. ordinarius cum conſenſu confratrũ, vbi ſunt cõfraternitates, quia magnis cum expenſis ſit confectum, diferendam amotionem iudicauerit.

HABEATVR pixis ex argento vel ſaltem ex ære, intus, & foris inaurata, cum cuppa intus, & foris leuigata, & cruce in ſummitate: intus vero circumueſtiatur corporali candidiſsimo, tegaturq; velo ſerico auro, vel argento contexto, quod ea ſit amplitudine, quantum eſt velum ipſum, vt tota pixis decore adumbretur, & tegatur.

CAPSVLAE verò, & ſcatulæ cuiuſcunq; generis ſint, argẽteæ, ligneæ, eburneæ prorſus amoueantur, & omnino interdictus ſit illarũ vſus.

MVTETVR autem Sacramentum ipſum octauo quoq; die, hoſtijs recenter confectis, & aſ-

ſeruentur

ſeruentur tres aut quatuor hoſtiæ paruæ tantum, niſi fidelium communicantium numerus maiorem numerum poſtulet.

PIXIS quoq; maior pro communione populo adminiſtranda habeatur, quæ intrinſecus, & extrinſecus leuigata ſit, & inaurata cum ſuo operculo, purificeturq; diligenter peracta populi communione.

HABEATVR etiam aliud tabernaculũ in Eccleſijs, in quibus fiunt proceſsiones Sanctiſsimi Sacramenti honorificum ex argento, cum ſuo chryſtallo, vitro ue pellucido.

De fonte Baptiſmali.

FONS Baptiſmalis prouideatur ex marmore lapide ue ſolido, cuius forma rotũda ſit, vel alius formæ iudicio lapicidæ periti, cui fiat, & aptetur ciborium piramydatum, ex tabulis ſectilibus nuceis politè confectum, ita vt inde prorſus amoueri non poſsit, niſi cum diebus ſolẽnibus renouanda eſt aqua. in eius autem apice crux decens præfigatur, tegaturq; conopeo ex ſerico tela ue decenti albi coloris, aut ex corio inaurato, cum lacinijs circumcirca pen-

dentibus, claudaturque ſera & claue artificioſe elaborata; & tuta, renoueturq; ſabbato ſancto, & Pentecoſtes: prior vero proijciatur in Sacrarium.

IPSI autem fontes omnino eximantur ex altaribus, & ex ſuggeſtis, & locentur, qui erunt ad formam dictam, in aliquo angulo eccleſiæ, vbi ſint conſpicui, & eccleſiam minus impediant, ſepianturq; cancellis ferreis, vel ſaltem ligneis opere tornatili elaboratis, & ita artificioſe contextis in altum per duos pedes, vt nullus canibus acceſſus pateat.

IN eccleſijs, in quibus adminiſtratur Sacramentum baptiſmi habeantur tres ampullę, ſiue vaſcula ex argento ſtannoue puriſsimo ad ſeruanda olea ſacra per totum annum, quæ inſcripta ſint his literis: CHR. CAT. INFIR. repoſita in capſula lignea tecta corio, inauratoq;, cum ſera quæ claudi poſſit etiam abſq; claui: Die autem Iouis Sancti, mittatur aperta, & à miniſtro Patriarchali poſtquam olea ſacra tradiderit, claudatur digito à ſuperiori parte preſſo, quæ aperiri non poſsit, niſi cum claue apud plebanum cuſtodita.

FORMA autem dictorum vaſculorum & capſulæ petatur ab eccleſia Sanctæ Mariæ de Iubanico:

nico: amoueantur vero penitus ampullæ vitreæ, capſulæq́;, quæ non ſunt ad formam præſcriptam.

DVO vaſcula pręterea cõiuncta ex argento fiãt, cum operculo eis affixo, in quo litteræ intrinſecus, & extrinſecus inſcribãtur, ad ſacra olea internoſcenda, cum ſcatula tornatili corio tecta, & aliquo ornatu impreſſa, & inaurato, intus circumueſtita panno ſerico albi coloris, in quibus oleum cathecumenorum, & ſacrum Chriſma ſit cum bombacio candidiſsimo, in vſum habenda in adminiſtratioue baptiſmi.

VASCVLVM aliud ſeparatum pro oleo infirmorum ſimile ſuperioribus habeatur, cum ſcatula minori ornata vt ſupra dictum eſt, quæ reponatur etiam in ſaculo, ſiue burſa ex holoſerico violaceo, vt tutius, & decentius deferatur.

CAPSELLAE autẽ & ſcatulæ iam dictæ, cum libro rituali cuſtodiantur in eccleſia, vel ſacriſtia in armario ab omni humiditate remoto, quod intrinſecus circum amiciatur aſſeribus, & panno ſerico, cuſtodianturq́; ſub claui tuta.

OLEA ſacra vetera, cum renouanda ſunt, non effundantur in ſacrarium, ſed in eo comburantur.

SA-

SACRARIVM verò locetur in pila lateritia capellæ altaris maioris, ꝙ ita altum, latumq́; ſit, vt commodè ſacra omnia in ea cõburi poſſint, foris autem claudatur oſtio decẽter picto cum peſſulo, & ſera & claui tutis, intra quod olea ſacra quando ſunt renouanda reliquaque ſacra vetera comburantur.

ALIVD itẽ ſacrarium eiuſdem formæ locetur prope baptiſterium pro aqua baptiſmali in illud infundenda, niſi ex ipſo fonte habeatur unde ſub terram defluant.

Decretum de Reliquiis Sanctorum.

QVONIAM ſanctorum corpora, & reliquiæ, quæ viua CHRISTI membra fuerunt, ab eodem ad æternam vitam ſuſcitandam, debito honore ſunt proſequenda: Iccirco, vt Sanctorum corpora, & reliquiæ, quibus plurimis hęc ciuitas maxime ornatur, & per quæ beneficia multa ipſi à DEO optimo maximo quotidie præſtari creditur, debito cultu & honore afficiantur, ſtatuimus, & ordinamus.

IN primis vt corpora integra pie, decoreq; recondantur,& ob hanc cauſam fiat Arca ex marmore, vel ſaltem ex ſolido lapide, intus opere leuigato expolita, cum operculo eiuſdem generis faſtigiato, quæ collocetur vel ſub altari, vel loco conſpicuo in gremio Eccleſiæ, vel in aliqua capella præterquã in ea, vbi Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruatur,a parte poſteriori ſubſtentata quãtuor columnis apte confectis, aut parieti hærens; capellaq; ipſa clatris ferreis apte decoreq; muniatur. Verum vt corpora, & oſſa ſacra ab omni iniuria incorrupta ſeruentur, fiat loculus, ſiue capſa ſaltẽ ex ſtanno inaurato, in qua corpora, oſſaue ipſa ſacra panno ſerico aut precioſo velamine coloris ipſi ſancto accommodati inuoluta, includantur cum ſuis inſcriptionibus in lamina ænea, ſtanneaue inciſis, recondaturq; in arca lapidea, quæ obtegatur operculo & fibulis ferreis, & plumbo, ita diligenter agglutinato, vt in ea nulla rimula appareat.

VBI autem habentur plures reliquię inſignes poterunt inuolui ſuo velo ſerico, & includi ſingulis loculis ſtanneis, cum inſcriptionibus, vt diſtinctè ſemper habeãtur dignoſciq; poſsint,

&om-

& omnes ſimul locari in arca ſimili ſuperius deſcripta marmorea.

POTERIT autem conſtrui armarium in capella maiori à latere Euangelij, vel in alio loco, ſiue capella, ab humiditate magis remoto; amplum pro magnitudine, & multitudine Reliquiarum, in eo recondẽdarum, quod quidem aſſeribus, & ſerico panno vndiq; veſtitum ſit; exterius vero oſtio ſera, & clauibus tutis optime muniatur.

IPSAE autem Reliquiæ inſigniores, vt ſunt capita, brachia, & huiuſmodi occludantur ornatè in thecis argenteis, vel ſaltem æneis inauratis, quæ capitis, cum collo dimidiatoq; pectore formam exhibeant, vel brachij: Aliæ vero minores locentur in pixidibus ex argento, vel ære inaurato, cum chriſtallo pellucido; vel etiam ex vitro, cum ſuis chirographis appenſis; quæ omnino in dicto armario diligenter cuſtodiantur:

QVAE vero carent nomine, recondantur in tot vaſculis, quot opus erit, addita hac inſcriptione: Reliquiæ quorum nomina ignorantur:

OMNES autem thecæ, & vaſcula velo ſerico ſanctis ipſis conuenienti velata ſint.

EXPONANTVR autem tantum diebus ſolemnibus

ſolèmnibus in altari, & tunc ardeant ante illas lampades, & quatuor cerei, cuſtodianturque reuereter à duobus ſaltem clericis cotta indutis, quibus in promptu ſint ſingulæ virgæ decentes præfixæ duobus vncinis, vnde fidelium coronæ præcariæ appendantur, ad ſacras reliquias, vel potius eorum vaſa tangenda, laicos vero procul eſſe iubebunt.

CAVTIO demum adhibeatur, ne ab vllo laico omnino tangantur, ne ue ad domos priuatas deferantur, ne dum in laicorum poteſtate relinquantur, neue ex thecis, loculis, vaſculiſq; extrahantur poena ſuſpenſionis ipſo iure per mẽſem incurrenda à clericis, Sacerdotibuſue ſęcularibus, vel regularibus, qui id tentare auſi fuerint, illas.ſ. ad domos priuatas deferẽdo.

De altaribus.

ALTARIA omnia, in quibus celebrandum eſt, fiant ex cæmento, & lateribus, quæ longe pateant ſeptem pedibus, vel ſex, aut ſaltem quinque cum dimidio; late vero tribus, & claudantur ab omni parte, ne res vlla in eis locari, reponi ue poſsit, teganturq; menſa lapidea, ac conſe-

conſecrentur. Fiat etiam eis bradella, ſcabellum ue ex aſſeribus latitudine trium pedum, lõgitudine vero altare ipſum excedat duobus pedibus, quæ conſtet tribus gradibus; ſed duo inferiores ſint ex lapide ſolido altitudine ſex vnciarum, latitudine vnius pedis: Menſa lapidea, poſtquam altare conſecratum erit, tegatur tela cerata, orneturq; icona honorifica, pallio ligneo decenter picto, quod adæquet menſam altaris ab omni parte, tribus mappis diſtinctis integris, & mundis, quarum ſuperior ab vtroq; capite fluat, vſq; ad planum bradellæ, tela ſtragula viridi, vel cœrulei coloris, lacinijs breuioribus à tribus lateribus ornata, cruce vel crucifixo paruo decenti in medio, duobus candelabris ex auricalcho & tabella a ſecretis, quę quotidie poſt miſſam recondatur ſub tela ſtragula, à latere vero epiſtolę in pariete capellæ defigatur in altum tribus pedibus, clauus ad appendendum biretum ſacerdotis celebrantis, per clericum miniſtrantem, quod in altare omnino non reponatur, & Sacerdoti reddatur poſt miſſam expletam.

IN altaribus vero; quæ conſecrata non erunt, menſæ lapideæ ſternatur alia menſa ex tabulis ſectilibus confecta, quæ omnino lapidem adæquet,

æquet, eiq; inſeratur altare portatile menſuræ infra deſcriptæ; ita tamen vt e menſę ligneę ſuperficie paululum extet, vt Sacerdos celebraturus tactu deprehendat medium altaris, inſeratur autem, vt eius longitudo ſpectet non ab vno ad alterum cornu, ſed à fronte in poſteriorem partem.

ALTARIS portatilis lapis longe pateat vno pede, late vero vncijs nouem, præter commenſionem capſæ nuceæ, cui inſertus erit, tegaturque tela cerata.

ALTARIBVS quæ conſtructa ſunt ſine capella, quæ amouenda non erunt ex decreto Reuerendiſs. D D. Viſitatorũ, fiat integumentum, quod tam longe lateq; pateat, vt altare, & Sacerdos in eo celebrans contegatur.

SEPVLTVRAE, quæ extructę fuerunt in altaribus loco bradellę, adhibitis hortationibus, ſi ſine ſcandalo, & magna perturbatione fieri poteſt, amouere ſtudeant, & obturentur, fiatque eis bradella vt ſupra dictum eſt. ſepulturæ vero transferantur ad pauimentum eccleſia longe ab altari, quantum fieri poteſt, impenſis eorum, quorum ſunt ſepulturæ.

SAEPIANTVR etiam omnia altaria cancellis, clatris ue ferreis, vel ſaltem ligneis tornatili

tili

tili opere ornate elaboratis, intra quos nullus laicus & præſertim mulieres ingredi audeant, dum miſſa celebratur, ne Sacerdotem ipſum ſacra facientem ſpectent, & interturbent.

OMNES laminæ ferreę amoueantur ab vtroq; cornu omnium altariũ in omnibus eccleſijs, ſed adſint candelabra, vt dictum eſt.

CONFESSIONALIA ex aſſeribus cum tabula intermedia & crate ferrea habeantur pro numero cõfeſſorum in omnibus eccleſijs, tam regularium, quam ſæcularium, ad audiendas confeſsiones præſertim mulierum, quæ alibi audiri non poſsint, neq; ante ortum, neq; poſt occaſum ſolis, ſub pœna carceris.

CONFESSIONALIBVS autẽ ſingulis affixa habeatur tabella caſuum reſseruatorum Reuerendiſsimi Patriarchæ.

De Sacriſtia & Eccleſia.

IN vnaquaque Sacriſtia habeatur vnde manus commode lauentur, tam ante, quam poſt miſſæ ſacrum, cum manutergio candido, ſæpe mutando.

ALTARE paruum adſit cum imagine crucifi-

xi, ſiue

xi, ſiue alia, & ſcabello paruo, in quo Sacerdotes genuflexi aliquas orationes recitent, tum pro præparatione ante miſſam, tum pro gratiarum actione poſt miſſam, vt in miſſali reſtituto.

MENSA præterea, ſiue armarium, ad quod Sacerdotes celebraturi induunt ſacras veſtes, tecta ſit aulea ſtragula viridi, & mappa candida clauiculis affixa, ne facile decidat, quæ ſæpe mutetur.

CALICES, & patenæ, vt in ſingulis eccleſijs priuatim præſcriptũ eſt, reficiãtur, inaurentur, firmenturq́; & lauẽtur diligenter, qui in vſu quotidiano habẽtur, ſemel in menſe; & ad hũc vſum habeatur vas proprium fictile, æneũ ue, quod cuſtodiatur in ſacriſtia, ad lauanda etiam corporalia, & purificatoria.

CORPORALIA ſint ex tela linea, quæ ab omni parte pateant vno pede cum dimidio, in nulla eorũ parte acu picta; Palla vero dimidio pede, ad quæ recondenda in miſſæ ſacro habeantur ſacculi, burſæ ue ex panno ſerico omniũ colorum, quę corporalia, vt ſemper ſint candida, & nitida ſæpenumero in anno mutentur.

PVRIFICATORIA ſint ex tela mediocri longa lataque vncijs decem cum cruce in medio

acu picta, virgula circum ambiente, & floccu lis in angulis eorum; Singuli autem Sacerdo tes habeant ſaltem ſena purificatoria.

VELA calicis habeantur omnium colorum, quæ longe lateque pateant vno pede cum dimidio, ſintq; honorifica ex ſerico, auro, argen toue intertexto pro diebus ſolemnioribus; ex ſerico vero tantum pro diebus ferialibus, ſed integra, & munda; viliora vero, & lacera comburantur.

MANVTERGIOLA, quibus abſterguntur digiti in miſſa, non appendantur neque altari neque cingulo; ſed ponantur vel ſuper burſa corporalis à Sacerdote, vel deferantur, & parentur à clerico cum vrceolis, & peluicula.

PLANETAE feriales omnium colorum ſecūdum ritū eccleſiæ Romanę prouideantur, & in vſu habeantur: Vt autem omnia fiant ordinate, ad ſacriſtā pertineat incumbatue onus exponendi illas quotidie pro ratione feſti, vel ſancti, vel feriæ occurrentis.

VESTES vero laceræ cuiuſcunq; generis ſint, ſiue planetę, tunicellæ, pluuialiaue, cum ſtolis, & manipulis, ſiue albæ, camiſiue, amictus, & cingula, quæ polite reſarciri non poſſunt,

combu-

comburantur,alias eorum vſus interdictus ſit ſub pœnis, vt in decreto de pœnis.

MISSALIA vetuſta comburantur, vel ſaltem ex eis canon pręcidatur; libri cantus omnes corrigantur ad formam breuiarij, miſſaliſque reſtituti.

FENESTRAE omnes, quæ proſpiciunt in ecclesias, cuiuſcunq; ſint,etiam plebanorum,pręter illam Reuerẽdiſsimi Patriarchæ, muro obturentur;Si qui vero vicini è domibus ſuis per feneſtras eccleſiæ in eccleſiam proſpiciant, feneſtræ ipſæ ſemper clauſæ teneantur opere vitreo, ita vt nunquam aperiri valeant.

OSTIA omnia, quę chorum recta ſpectant,muro occludantur, vel chorus transferatur in capellam maiorem, vel ſaltem omnino ſepiatur cancellis ornate elaboratis, qui ſtructuræ chori reſpondeant,vt diſciplinæ ratio poſtulat.

CLAVES Sacramentorum & Reliquiarum tuto cuſtodiantur per Plebanos in ſacriſtia, in arca tuta diligenter clauſa.

NE autẽ aliqua mora interponatur,quominus ordinata in executionem inducantur, ob aliquam controuerſiã,quæ in impenſis fiendis oriri poſſet; quæ ad Sanctiſsimæ

ctiſsimæ Euchariſtiæ ornatum ſpectant, vt tabernaculum ligneum, pixides, & tabernaculum in proceſsionibus deferendum impenſis ſcholæ Sanctiſsimi Sacramenti, quæ vero ad altarium ſpectant ornatum, ab eorum patronis, vel fundatoribus (niſi aliud obtineat conſuetudo) plebani quàm primum præſtari curabunt; at uero quæ ad totum corpus eccleſiæ, ad Baptiſterium, cœmeterium, ſacramq; ſuppellectilem ſpectāt, ipſi plebani petito à fabrica eccleſiæ, confraternitatibus titularibus, & a Vicinia charitatiuo ſubſidio (iuxta ipſius laudabilem conſuetudinem) omnino præſtabunt, termino in ordinationibus, ſeu regulis conſtituto; Nullaq; ijdem egeſtate excuſari valeant, quominus uela calicum, corporalia, uaſcula ſacramētorum, ipſorum capſulas, ac ſacculos claues quaſcunq; & huiuſmodi minutiora præſtent.

TER-

TERMINI GENERALES

ASSIGNATI A REVERENDIS. DD. VISITATORIBVS,

Intra quos eorum decreta in executionem vſumque inducenda erunt.

TABERNACVLVM ligneum Sanctiſsi. Sacramẽti, pixides, & tabernaeulum paruum in proceſsionibus deferendum cũ ſuis ornamẽtis prouideantur in termino octo menſium.

FONS baptiſmalis in termino octo menſium.

AMOTIO altarium amouẽdorum transferendorumue in termino ſex menſium.

AMOTIO altarium portatilium, quę non ſunt menſuræ preſcriptę, in termino ſex menſium; Interea quæ ſunt ſex unciarum tollerentur; quæ vero minoris ſunt, eorum vſus omnino interdictus ſit, ſub pœna, vt in pœnis.

AMOTIO vexillorum, & depoſitorum capſarumue mortuorum in termino ſex menſium, ſi ligneæ ſunt, marmoreis euacuatis.

ICONAE, pallia, & cætera ornamenta altarium in termino menſium ſex.

AMOTIO, & obturatio ſepulchrorum, quæ ſunt loco bradellæ altarium, in termino duorũ menſium, repoſitis ibidem bradellis ligneis.

REFECTIO, & inauratio calicum, & patenarum in termino menſium trium.

PLANETAE, uel aliæ ſacræ veſtes in termino ſex menſium.

CORPORALIA, purificatoria, uela in termino duorum menſium.

CONFESSIONALIA in termino duorum menſium.

REFECTIO pauimenti eccleſiæ, incruſtatio, & dealbatio parietum in termino unius anni.

DECRETVM,
QVO DECLARATVR QVIBVS POENIS
afficiendi ſunt

Qui negligentes extiterint in perficiendis ijs, quæ ſibi alijs decretis mandata fuere.

SI quis in altaribus ligneis, vel lapidibus ſacratis, quæ non ſint mẽſurę prȩſcriptę, vltra ſemeſtre ſibi prȩfixũ, vel in altaribus, quę amoueri iubentur, celebrare auſus fuerit, tanquã celebrans contra decretum præſcriptum, arbitrio Reuerendiſsimi D. Patriarchæ ſuſpendatur.

SI quis poſt octo menſes ſcatulis eburneis, ligneis ue, vel vitreis vſus fuerit, pœnam ſuſpenſionis incurrat.

SI quis ad diem conſtitutum tabernaculum, pixides, fontem baptiſmi ad formam præſcriptã

non parauerit, interdicto ab ingreſſu eccleſiæ arbitrio Reuerendiſs.Patriarchę ſubijciatur.

SI quis non prouiderit ampullas, & vaſcula ſtãnea cum capſula, & ſcatulis pro oleis ſacris in tempore, plectatur pœna ſex ducatorum, qui Seminario Reuerendiſsimi D.Patriarchę appli cati intelligantur, & hoc toties quoties elapſum fuerit ſpacium, in quo parere iubentur.

SI quis negligens fuerit in ornandis altaribus ad formam præſcriptam, altare interdicatur arbitrio eiuſdem Reuerendiſsimi; & interea ni hilominus celebrari facere teneatur in ipſa eccleſia in alio altari ornato; Quod ſi pertinax fuerit per annum, altare demoliatur, & titulus translatus eſſe intelligatur ad altare maius ipſius eccleſiæ cum honore, & onere.

QVI in audiendis confeſsionibus mulierum non vſus fuerit confeſsionalibus ligneis; uel ea non parauerit, ſi eſt delegatus confeſſarius, pęnã carceris incurrat arbitrio &c. ſi eſt ordinarius, & ea non parauerit, plectatur pœna ſex ducatorum, ut ſupra in pœna non parantium ampullas.

AE EDEM pœnę ſtatutę intelligantur, pecuniariæ ſcilicet, applicandæ vt ſupra, ijs, qui non parauerint res, quæ ſunt deſcriptæ in capite de

ſacriſtia,

ſacriſtia, & pro feneſtris occludendis, & hoc toties quoties, ut ſupra.

PRO non extructo pauimento, nec incruſtatis, dealbatisq́; parietibus interdicatur eccleſia arbitrio &c. reſeruatis in caſibus ſupra deſcriptis pœnis à ſacris canonibus & Patriarchalibus conſtitutionibus ſtatutis.

Formæ ſcribendi matrimonia, & baptizatos.

QVONIAM autem par eſt, ut omnes eccleſię uniformiter ſe habeant in matrimonijs, baptizatisq́; ſcribendis, & abſolutionibus impertiendis iuxta canonicas ſanctiones, cũ omnes ſub vna Patriarchali conſtitutæ exiſtant, diuerſimode tamen ea in uſum inducantur; iccirco omnes plebani vniformiter infraſcriptis formis utantur.

CAVEANT autẽ in primis plebani ne in matrimonio contrahendo vagos, exteroſue admittant ad matrimonia cõtrahenda contra decreta Conci. Trident. niſi prius fide legititma

miſſas eſſe, eosque ſolutos, & à fide catholica non alienos, aut nullo alio impedimento detentos eſſe, quæ fides, ſi contrahentes extra ciuitatem oriundi ſint, proprij epiſcopi ſigilli impreſsione muniantur, ac poſtea per plebanum diligenter in filo cuſtodiantur; quòd ſi etiam à Reuerendiſsimo Patriarcha, uel eius Vicario data fuerit facultas publicationes, vel earum aliquam omittendi, de ea in matrimonio ſcribendo fiat mentio, & etiam de fide alterius parochi, quæ omnia, vt ſupra in filo cuſtodiantur. contrafacientes graui pœnæ arbitrio Reuerendiſs. D. Patriarchę ſubijciantur.

Forma Matrimonii.

DIE PRIMO MENSIS SEPTEMBRIS M. D. LXXXI.

MAGNIFICVS D. N. q. Clariſsimi D. N. familię &c. & Magnifica D. N. filia Clariſsimi D. N. familiæ &c. præmiſsis tribus publicationibus, factis in tribus diebus feſtiuis iuxta Sacri Tridentini Concilij decretū in mea Eccleſia parochiali, uidelicet

die

die 7. 12. 15. menſis Auguſti proxime pręter riti, nulloq; oppoſito impedimēto, die ſupraſcripta contraxerunt matrimonium per uerba de pręſenti in faciem eccleſię in tali domo, vel eccleſia in pręſentia mei præsbyteri N. familię &c. plebani S. N. proprij ipſorum parochi, & N. familiæ &c. & N. familię &c. teſtium ad hęc ſpecialiter uocatorum, & rogatorum.

SI ſponſus ſit de alia parochia, & celebretur pręſente Capellano de licentia parochi, ita ſcribatur.

DIE PRIMO MENSIS SEPTEMBRIS. M. D. LXXXI.

MAGNIFICVS D. N. q. Clariſs. N. famil. &c. de cōtracta, ſeu parochia S. N. cum fide proprij parochi, & Magnifica D. N. filia Clariſsimi D. N. familiæ &c. pręmiſsis tribus publicationibus in parochiali Sācti N. tribus diebus feſtiuis factis iuxta S. Tridentini Concilij decretum, videlicet die 7. 12. 15. menſis Auguſti proxime pręterriti, nulloq; oppoſito impedimēto ex aliqua parte, die ſupraſcripta contraxerunt matrimonium per

plebani, in præſentia mei præsbyteri N. fa-
miliæ &c. capellani S.N. de mandato, & licen-
tia pleba infraſcriptis teſtibus videlicet N. fa-
milię &c. & N. familiæ &c. notis, & ad hęc ſpe
tialiter uocatis, & rogatis. Quod ſi de licen-
tia Reuerendiſsimi ordinarij omiſſa ſit aliqua
denuntiatio ſcribatur factis tātum duabus de-
nuntiationibus vel una, uel omiſsis publica-
tionibus de licentia Reuerendiſs. Patriarchę.

Forma ſcribendi baptizatos.

CAVEAT in primis plebanus, ne duos
compatres mares deſcribat contra Tri-
dentini Concilij præſcriptum, ſed unum
tantum, & unam, quę tātum infantem de fon
te ſuſcipiant; nec admittatur ſecundus uir, li-
cet procuratorio nomine alicuius mulieris ac-
cederet; alias Sacerdos plures ſcribens ab or-
dinario grauiter puniatur. Forma autem ſit ta-
lis.

DIE PRIMO SEPTEMBRIS.
M. D. LXXXI.

N. Filius Clariſs.D.N. famil. &c. & Magnificę D. N. famil.&c. eius uxoris baptizatus fuit die ſupraſcri. per me preſbyterum N. N. plebanum Sancti N. ipſius parochum, uel per me presbyterum. N. N. capellanum de licentia plebani. Suſcipientibus Magnifico D. N. familiæ &c. & D. N, familiæ &c. quando uero eſt expoſitus, ſcribatur.

Die &c.

ANTONIVS natus parentibus incertis baptizatus fuit &c. ſuſcipientibus &c. Quando uero eſt nothus, & uterque parens cognoſcitur, ſcribatur.

Die &c.

FRANCISCVS filius naturalis N. famil. &c.

tinet uel eius amicæ, ſi extra domum degit, baptizatus fuit &c. ſuſcipientibus &c. Quando pater ignoratur, uel non eſt certus, ſcribatur.

Die &c.

FRANCISCVS filius naturalis. N. famil. &c. & patris incogniti; uel ſi illa eum nominat, dicatur N. famil. &c. ut illa aſſerit, baptizatus fuit &c. ſuſcipientibus &c.

Forma abſolutionis.

DICTO Miſereatur, & Indulgentiam, Sacerdos ſubiungat: Dominus noſter IESVS CHRISTVS te abſoluat, & ego authoritate ipſius abſoluo te ab omni uinculo excommunicationis minoris, ſi qua teneris, deinde abſoluo te a peccatis tuis.

In nomine Patris &c.

DEMVM ſubſequatur: Paſsio D. N. IESV CHRISTI, & merita B. M. ſemper Virginis, & omnium ſanctorum, & quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris ſint tibi in remiſsionem

nem peccatorum tuorum, in augmentum gratię & prępium uitæ ęternæ. Amen.

AVDIENS autem confeſsiones abſq; licentia Reuerendiſsimi Patriarchę, uel eius Vicarij, ie abſoluens à caſibus reſeruatis, ſiue ſæcularis clericus ſit, ſiue regularis, pœnam ſuſpenſionis ipſo iure incurrat.

FINIS.